

Nota. Dicitur *damnum emergens*, quod mutuans patitur praecise ratione mutui. *Lucrum cessans* dicitur quod mutuator sua industria certo aut probabilissime fuisset consequuturus, nisi suam pecuniam ad lucrum de facto destinata. expendisset in mutuum. Ut titulus lucri cessantis prosit requiritur: a) Ut mutuum vere causet lucrum cessans. b) Ut spes lucri sit saltem probabilis non remota tantum. c) Ut moneatur mutuarius et in pactum deducatur (1). d) Ut compensatio lucri cessantis non detrahatur ex sorte, quando haec mutuatorio datur, potest tamen mutuator in praesente exigere auctarium pro lucro cessante praesenti, imo et pro futuro, modo auctarium sumatur ex re alterius naturae v. g. ex vino pro pecunia vel tritico. e) Ut aequitas servetur inter lucrum cessans et auctarium. Similes, ut titulus damni emergentis valeat, requiruntur conditiones.

Assertio quoad primum titulum est communissima (2); quoad secundum titulum est juxta Lugonem (3) communis et omnium usu in praxi recepta.

I.^a Pars. Prob. 1.^o *Damnum emergens* est detrimentum quod patitur mutuans tradendo sortem, ultra traditionem sortis. Sed detrimentum in favorem aliorum passum non est minus aestimabile quam opus alteri impensum. Ergo...

2.^o Auctoritate et ratione D. Thomae (l. c.) «Ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere; hoc enim non est vendere usum pecuniae, sed damnum vitare.»

II.^a Pars. Prob. 1.^o Exigere aliquid ratione lucri cessantis ultra sortem, est exigere ratione damni ex mutuo profecti. Sed ratione damni emergentis licet ut constat ex prima parte. Ergo... *Maj.* prob. Ille damnum patitur ex mutuo, qui ratione mutui dati post annum v. g. minus habet quam haberet si mutuum non dedisset. Sed qui lucro careret ratione dati mutui, minus haberet post annum v. g. quam debuisset habere si mutuum non dedisset. Ergo. 2.^o Probabili auctoritate et ratione D. Thomae (4): «Alio modo si quis damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi, tale damnum non oportet recompensare ex aequo quia minus est habere aliquid virtute quam habere actu... Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum et negotiorum.»

Dices 1.^o D. Thomas (5) contrarie loquitur: «Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id, quod nondum habet, et potest impediri multipliciter ab habendo.»

Resp. Probabiliter cum Molina (6), non debet vendere quod nondum habet, in potentia remota; conc. Proxima; neg. Probabilitas saltem hujus solutionis sumitur ex prob. 2, et doctrina, quam

(1) Cod. noviss. hisp. a. 1755.—(2) D. Thomas. 2, 2. Q. 78, a. 2, ad 1.—(3) D. 25, n. 87.—(4) 2, 2, Q. 62, a. 4.—(5) 2, 2, Q. 78, a. 2 ad 1.—(6) Tract. 2, D. 315, n. 13.

D. Thomas (1) de restitutione in genere statuit nempe restitutionem tunc deberi, quando «res unius ab alio habetur vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo vel deposito; vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina et in furto.» Sed lucrum cessans est res alterius. Ergo...

2.^o Mutuum debet fieri gratis: ergo, cum non tenearis mutuare, non potes quidquam exigere.

Resp. Gratis ratione mutui ut mutui; conc. Si ipsi mutuo aliquid aliud dignum pretio adjungatur; neg.

3.^o Lucrum tibi cessare, est te a lucrando prohiberi et impediri. Sed preces non cogunt, praesertim si te ad mutuandum offeras: Ergo non potest justum videri lucrum cessans, quando vel ipse te offers, vel precibus cedis.

Resp. Dist. *Maj.* Est a lucro prohiberi vel impediri tantum; neg. Etiam; conc. Non tantum dicitur alicui cessare lucrum, quando invitatus privatur vel impeditur, sed etiam quando ipse se privat, sive id faciat sponte, sive ad preces alterius, hoc enim est pretio aestimabile.

100. **Dico II.** Periculum verum et probabile sortem amittendi, aut damnum grave in sorte recuperanda subeundum, est pariter justus titulus aliquid exigendi supra sortem.

Nota. Nomine periculi hic intelligimus, non quaecumque periculum commune aut universale sed particulare, quod spectatis variis circumstantiis prudenter ac probabiliter timetur velut si mutuum detur obaerato, vel pro periculosis negotiis, quorum est ambiguum exitus. Ratione periculi potest aliquid supra sortem in pactum deduci duobus modis. Primus est quando mutuans suscipit in se periculum rei mutuatae et pro hoc periculo exigit aliquid ultra sortem. Secundus est quando ipsum mutuum est periculosum propter conditionem mutuarii, qui forte non solvet, vel necessario erunt expensae faciendae vel molestiae subeundae vel sors recuperari possit. Nos agimus de hoc secundo; in primo adjungitur mutuo contractus assecurationis, qui extrinsecus est mutuo et justus si aequitas ei competens servetur. Est communis sententia (2), nihilominus olim contrarium sentiebant non ignobiles auctores, ut Sotus, Toletus, Rebellus, etc.

Prob. 1.^o Auctoritate et ratione D. Thomae (3): «Si enim venditor rem suam intendat vendere carius, non propter tempus tantum, sed tantum propter damnum, quod sibi videt imminere ex dilatione persolutionis recuperandae, seu propter vexationem suam redimendam, quam probabiliter timet futuram sibi in repetitione debiti sui propter malitiam, vel impotentiam debitoris, tunc excusatur a vitio et fit aequitas aestimationis, in hujusmodi contractibus per compensationem damni, vel quando probabiliter timentur haec, in credentia (i. e. expectatione solutionis) accidere.»

2.^o Periculum sortis est quid extrinsecum mutuo, pretio aesti-

(1) 2, 2, Q. 62, ar. 1.—(2) Lugo, D. 25, n. 79. Lessius. L. 2, c. 20, a. n. 111 Molina, etc.—(3) Opusc. 73, c. 10. De usuris (edit. Parm. 66).

mabile. Ergo ultra redditionem sortis aliquid pro periculo percipere licet. *Antec. prob. Est extrinsecum mutuo*; nam potest ab eo separari sive dando pignus, sive quaerendo fide-jussorem; *est pretio aestimabile*. nam fide-jussori, qui assumeret tale periculum licite juxta omnes daretur aliquid pro periculo assumpto. Ergo a pari debet dari mutuanti si periculo se exponat, cum non debeat ex eo quod mutuatur peioris esse conditionis ac fide-jussor.

3.^o Resolutione S. C. Cardinalium de Propaganda Fide (1) ab Innocentio X approbata, etiam poenâ excommunicationis in contraventores lata. Quaerebatur an liceret Chinensibus accipere triginta pro centum ratione periculi non recuperandae pecuniae; resolutio fuit: «ratione mutui immediate et praecise »nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si vero aliquid »accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, »non esse inquietandos (nempe mutuatores Chinenses) dummodo »habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur.» Sed si esset illicitum non permississet Pontifex nec praecepisset sub poena excommunicationis omnes se conformare huic decreto: maxime cum dicat: *dummodo habeatur*, etc., quae verba indicant rationem positivam approbationis.

Dices 1.^o Mutuatarius, qui non praecedente pacto vi et dolo mutuum extorsisset cum periculo amittendae sortis; reddita sorte, si aliud damnum non fuisset, satisfaceret mutuanti. Ergo periculum non est aliquid pretio aestimabile.

Resp. Dist. *antec.* Satisfaceret mutuanti, ex eo quod tunc periculum jam non est, et nullum damnum passus sit ex periculo transacto; conc. Ex eo quod ipsum periculum non sit pretio aestimabile, et aliquis illud pati gratis teneatur; neg.

2.^o Neque cum mutuans suscipit in se periculum, licet aliquid exigere ultra sortem. Ergo multo minus, quando sustinet et non suscipit in se periculum licebit. *Antec. prob. ex famoso cap Naviganti* (2) Gregorii IX: «Naviganti vel eunti ad nundinas »certam mutuans pecuniae quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.» Ergo...

Resp. Varias esse AA. responsiones (3) Probabilior videtur solutio, quam dat De Lugo, his verbis: «Secunda interpretatio »est, quod Pontifex ibi solum decernat, praesumendos esse in foro »externo usurarios hujusmodi contractus, non enim dixit usurarium esse, sed usurarium censendum esse: quod merito Pontifex »fecit, eo quod eo titulo palliarentur usurae.» Unde in forma, dist. Usurarius est censendus i. e. praesumendus, propter abusus illius temporis; conc. i. e. est semper usurarius; neg.

3.^o Nullum est mutuum aut venditio, in quibus non subsit periculum aliquod recuperandi pretium vel debitum: Ergo semper poterit aliquid amplius exigere pro periculo.

(1) Ann. 1645.—(2) De usuris. cap. ultimi.—(3) Vid. Lugo. D. 25, n. 78; Wirceburg. De justit. et jur. n. 520.

Resp. Neg. *antec.* Nam quando v. g. sub bono pignore mutuum datur, vel debitor est integrae fidei et satis experientiâ notus, nullum periculum apprehenditur, in sola carentia pecuniae.

4.^o Ex nostra doctrina sequeretur pro ipso etiam interesse posse exigere aliud interesse, et pro hoc secundo aliud tertium, siquidem non minus subest periculo ipsum interesse quam sors. Ergo...

Resp. Totum periculum sortis et interesse computari in primo interesse.

Inst. Si interesse etiam periculosum est, non est medium proportionatum ad assecurandam sortem: non potest ergo ad hunc finem exigere.

Resp. Non exigere ad assecurandam sortem, ad hoc enim melius esset petere pignus vel fide-jussorem, sed exigere pro pretio illius molestiae et periculi, quod mutuans de praesenti patitur.

5.^o Sequeretur posse majus interesse exigere propter naturam magis timidam mutuantis, vel quia avarus est, et plus timet periculum sortis. Ergo.

Resp. Neg. *conseq.* (1) quia non debet attendi apprehensio in venditione, sed periculum ipsum, quod si revera non est, non potest vendi, licet ex imaginatione laesa mutuantis apprehendatur. Ratio est, quia cum metus non oritur ex re ipsa, et talibus circumstantiis, sed ex errore et dispositione vitiata mutuantis, damnum illud non emergit ex tali mutuo, atque ideo non potest a mutuatorio exigere cum mutuum non sit ejus causa.

SCHOLION II.

Speciatim de legis civilis titulo.

§ I.

Status quaestionis ejusque practica resolutio.

101. Olim apud Romanos vigeabant usurae; quae permittebantur erant centesimae i. e. unum pro centum quolibet mense seu ut more nostro loquamur duodecim pro centum quolibet anno. Haec quantitas constituebat assem usurarium, et erat foenus maximum, quod pro pecunia credita exigere poterat, ita ut si aliquis plus exigeret, in poenam debebat restituere quadruplum quantitatis ultra assem acceptae. Imperatores christiani has leges moderarunt; Justinianus enim saec. vi legem tulit, qua permittebatur nobilibus exigere *trientem* (4 %); mercatoribus simplicibus, *bessem* (8 %); mercatoribus trajectoribus, as (12 %); reliquis omnibus *semissim* 6 %. Has tamen leges reprobatae fuisse a Patribus et Conciliis saltem juxta illorum temporum circumstantias constat ex dictis in object. Thes. XIV. Innocentius IV, saec. xiii scribe-

(1) Cum Molina, Navarro, Salas, etc. contra Lugonem, qui concedit *conseq.* D. 25, n. 85.

bat post concil. gener. Lugdunense (1): «Ideo prohibentur ita generaliter usurae, quia si liceret eas accipere, omnia mala inde sequerentur: quia non intenderent homines culturae possessionum nisi quando aliud non possent: et ita tanta esset carestia, quod omnes pauperes fame perirent.» Hodiernus S. Pontifex inter causas, quae nostra aetate pauperum in divites concitationem excuunt recenset (2): «Usura vorax, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem: huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile jugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.» Quod malum, cum magna ex parte in lucro libero ex pecunia mutuo tradita oriatur, rectissime infert P. J. Costa-Rosseti. (3). «Ergo gravissimus error est plenam libertatem circulationis pecuniae creditae et lucri inde percipiendi tueri.» Sed excessibus praetermissis, transacto medio oevo, jam a saeculo xvi permittebatur in Germania per leges vel consuetudinem auctarium moderatum exigere a mutuatariis, hinc et inde disputantibus theologis de sufficientia harum legum seu consuetudinis ad conferendum mutuanti verum jus (4). Antiquiores et solidiores theologi communiter rejiciebant (5), sed a saeculo xviii ad nostra usque tempora mutatae circumstantiae, ut sunt facilitas commercii, necessitas pecuniae ad illud exercendum, multitudo negotiorum lucrificorum, aviditas rerum materialium habendarum, etc., ubique induxerunt consuetudinem, legibus approbatam et firmatam, ab Ecclesia, salva charitatis lege, ad minus toleratam, aliquid exigendi supra sortem pro qualibet pecunia mutuo credita.

Inde quaeritur utrum deficiente quolibet alio justo titulo ad aliquid exigendum supra sortem, occasione mutui, unus legis titulus sufficiat? seu aliis verbis, an sit re vera aliqua ratio homine proba digna, hanc legem cohonestans, et justam ac tutam in conscientia probans? quod additur ne intelligatur sensum quaestionis esse: «utrum sola lex reddat justam, injustam usuram?» hoc enim sensu, clare apparet nullam legem posse cohonestare lucrum ex mutuo.

102. Resp. 1.º Ad praxim quod attinet certum est, non inquietandos esse fideles, qui beneficio legis utuntur, dummodo parati sint ulteriori S. Sedis decisioni se subicere, quare confessarii licet forte injustum esse hunc titulum opinentur, nequeunt tamen fideles obligare, ut suae privatae sententiae se conforment. Doctores catholici pariter contrarium sentientes nequeunt censuris notare contrarium opinantes. Constat a pari ex Encyclica Bened. XIV (6), ubi haec regula statuitur. «Quod si disputatio insurgat, dum con-

(1) Appar. in decret. — (2) Encyclic. *Rerum novarum*. — (3) Phil. mor. P. 4, c. 2, n. 11. — (4) Wirceburg. n. 521. *Curs. theolog. Mign.* Vol. 16, p. 1016. P. Zech. *Dissert. de statuto principis* a Fr. Barth. — (5) Lessi. L. 2, c. 20, nn. 31, 32. Lug. D. 25, n. 13, Tolet. *Instruc. sacerd.* Lib. 5, cap. 37, n. 34, etc. — (6) *Vix pervenit* § 8.

tractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserant, si praesertim ratione, et praestantium virorum testimoniis minime careat; siquidem convicia atque injuriae vinculum christianae charitatis infringunt, et gravissimam populo offensionem et scandalum praeseferunt.» Constat primum ex variis decisionibus (1) S. Officii et S. Poenitentiariae, ex quibus et ex Bulla Benedicti XIV *Vix pervenit*. Sacra Congr. de propaganda Fide, anno 1873, Instructionem pro Superioribus missionum confecit, quam his regulis absolvit.

1. Generatim loquendo de lucro ex mutuo, nihil omnino percipi inde posse *vi mutui*, seu immediate et praecise ratione ipsius.

2. Aliquid ultra sortem percipere licitum esse, si forte titulus aliquis extrinsecus, non mutui naturae universim conjunctus et innatus, mutuo accedat.

3. Deficientibus licet aliis quibuslibet titulis, cujusmodi sunt, lucrum cessans, damnum emergens, atque periculum amittendae sortis, vel assumendi insolitos labores pro sortis recuperatione, unum quoque legis civilis titulum, seu sufficientem in praxi haberi posse, tum a fidelibus, tum ab eorum Confessariis, quibus proinde suos poenitentes hac super re inquietare non licet, donec quaestio haec sub iudice pendeat, nec S. Sedes ipsam explicite definierit.

4. Praxis hujus tolerantiae minime extendi posse sive ad cohonestandam usuram quamvis modicam erga pauperes, sive usuram immodicam ac naturales aequitatis limites excedentem.

5. Denique, quatenus usurae quantitas dicenda sit immodica et excessiva, quatenus justa ac moderata, universim determinari non posse, cum hoc dimetiri oporteat in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum ac temporum (2).

Resp. 2.º Speculative loquendo affirmant justitiam vel saltem positivam probabilitatem hujusmodi tituli moderni communiter et aliqui ex superioribus saeculis Haunoldus, Tannerus, Potestas, Pichler, etc. (3). Oppugnant veteres et pauci ex modernis inter quos adnotator hispanus Gury-Ballerini (4).

(1) *Vix pervenit* § 8. — (2) De lucro 8 vel 10 % interrogata S. Poenitentaria respondit: «Cum fructus pecuniae taxare per modum regulae periculosum sit, »V, in Christo P. Episc. orator in singulis casibus rem decernat juxta praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus.» 18 April 1889. — (3) Vid. P. Zech. S. J. in op. de rigore moderato circa usuras, quod scripsit ut P. Pichler ab irrisionibus et acerbis censuris P. Concinae vindicaret. — (4) In notis asteristicis nn. 863, 864, 867, 870, 878.

§ II.

Rationes, quae afferuntur pro justitia tituli legalis.

103. 1.^a Ex auctoritate Sctae. Sedis, quae declaravit non esse inquietandos percipientes lucrum ex solo titulo civilis legis, quod, nisi esset saltem probabile, non permetteret. Confr. Ex simili ratione aliqui aa. ut P. Platelli n. 638; Ligorius Lib. 3, n. 765, probabant licitum esse aliquid exigere pro periculo sortis. Ergo...

2.^a Cum Tannero, Wirceburgensibus. Gury. Cuevas, etc., ita: Princeps vi alti domini potest et vult transferre auctarii dominium. Ergo... *Antec. Potest:* quia hoc postulat bonum commune maxime commercium, auxilium viduarum et aliarum miserabilium personarum, finis litium, quia alias semper incertum erit an sit justus titulus vel non, vel saltem fingetur, etc. *Vult* quia aliter non esset efficax lex transferendi, nec consentiret communitati hoc postulanti saltem implicite cum libentissime admittat talem legem. Confr. Ex causis publicis potest Princeps vel Respublica post legitimam possessionem, tempore a jure requisito continuatam, transferre dominia rerum, valoris saepe maximi, in alios, vi praescriptionis: ergo multo magis, ex similibus causis, potest moderatam partem fructuum, vel praestationem moderatam exigendi jus conferre aliis. Jam vero subesse causas similes pro hac lege ac pro praescriptione diximus in *antecedente* et amplius declaratur: a) Propter magnum subsidium, quod industriae, commercio et agriculturae praestat. b) Propter magnam utilitatem, quam locis piis, viduis, pupillis aliisque miseris personis affert; etenim hae personae cum non valeant per se negotiari, ut lucrum ex suis pecuniis reportent, cito eas consumerent et ad paupertatem redigerentur. Finge aliquo universali decreto subito auferri potestatem mutuandi pecunias cum moderato auctario; quae inde non profueret publicarum rerum perturbatio, quot personae unde victum sibi pararent, non haberent? c) Propter tranquillitatem conscientiae proborum hominum stabiliendam et a scrupulis liberandam, ac simul improborum usurariorum effraenatam avaritiam compescendam; nequibunt enim hi excessivas usuras extorquere, si praesto sunt mutuo indigentibus viri probi, moderato auctario contenti.

Haec ratio non sejuncta a sequenti, qua probabitur hodie in quolibet mutuo adesse titulum lucri cessantis vel alium, est saltem probabilis et inservit ad hoc, ut ex lege, vel consuetudine, ubi lex non sit, suppleatur defectus tituli, si forte in aliquo casu non sit vel non appareat, ad modum, quo praescriptio sanat defectum veri tituli ad possidendum.

3.^o Hodie propter summam facilitatem transvehendi pecuniam et merces; propter magnam ubilibet negotiandi libertatem; propter omnibus concessam sibi invicem associandi facultatem, quae innumeras omnium negotiorum industriales associationes peperit, cuilibet, etiam non pecunioso homini, potestas est facillima suam

pecuniam in quaestuosis negotiis impendendi; quare hodie, cum mutuum etiam non mercatori traditur, communiter adest titulus lucri cessantis. Accedit ex hoc continuo pecuniarium fluxu periculum sortis, quod etiam extra mutuum pretio aestimabile est. Ergo hodie propter rerum novas circumstantias semper est titulus nudo mutuo extrinsecus, vi cuius aliquid supra sortem exigere licet. Lex igitur vel consuetudo hominum proborum aliud facit nihil, quam moderari et firmare, propter rationes supra traditas, hoc jus omnibus mutuantes hodie commune.

Haec ratio est vere probabilis, eo magis, quod non inducit ut sequentes novum mutui contractum ab antiquo diversum, nec circa usuras canones antiquos Ecclesiae aliter interpretari cogit quae dogmaticos, sed solum qua disciplinares, rebus mutatis, non amplius, vigere aut aliter applicari fateri.

4.^a Pecunia hodie, ut experientia constat mercatorum, est ex se fructifera independenter ab humana industria. Ergo hodie pecunia non amplius ut res fungibilis est habenda, sed ut instrumentum pro cuius usu, seu valore usus ipsius, aliquid ultra instrumentum, hic aliquid supra sortem rependendum est.

Haec ratio displicet: a) Quatenus aequiparat locationi contractus mutui, cuius naturae est plenum et absolutum dominium pecuniae mutuataro tradere; unde sicut non licet aliquid vendere carius, quia utilius emptori, ita nec augere pretium pecuniae, quae aequali summa compensatur, quia utilior et feracior domino suo. b) Quia falsum sumit fundamentum, ut disserte Bucceroni (1) probat: «Tam verum est quod praesens rerum commercium non reddidit pecuniam fructiferam, quantum verum est quod praesens commercium potius *credito*, ut dicitur, quam materiali *pecunia*, regitur; et creditum ex propria est industria, ingenio, labore, fiducia apud publicos mercatores acquisita, maxime honestate vitae. Praeterea maxime in praesenti videtur, quod pauperes operarii, laboriosi et industriosi, ingentes brevi tempore congerunt divitias; nobiles viri e contra ditissimi, ob defectum laboris et debitae industriae, ad extremam paupertatem reducuntur. Non est igitur pecunia, quae est fructifera, sed proprius labor et propria industria.»

5.^a Cum Ballerini (2): Cum auctarium exigitur pro credita pecunia, non exigitur vi mutui, sed propter commoditatem et utilitatem, quam alteri mea pecunia do, et a qua me privo. Sed pro commoditate licitum est, etc. Ergo... Prob. *antec.* Quia contractus mutui est essentialiter gratuitus, sicut commodatio; contractus vero, quo exigitur auctarium, est contractus innominatus *do ut des*, Ergo...

Parum firma videtur haec ratio: a) Ex everso ejus fundamento (supra) in definitione mutui, qui natura sua contractus est onerosus. b) Quia doctrinam novam in Ecclesiam introducit; cum enim haec ratio sit a priori, non tantum *nunc* ex circumstantiis, ut communius defendunt auctores, liceret moderatum auctarium ultra

(1) Inst. Theolog. mor. Vol. I, n. 1088, 3.^o—(2) Annot. ad Gury, n. 878.

sortem recipere, sed *semper* licuisset, quare dicendum esset, Deum in sacris Scripturis, Ecclesiam in suis Conciliis, Theologos aetatis aureae, duce Angelico D. Thoma, in suis operibus contractum justum prohibuisse, quod quantum distet a veritatis specie nemo non videt.

§ III.

Rationes oppugnantes justitiam tituli legalis.

104. 1.^a Usurae vi mutui sunt jure divino et naturali prohibitae. Sed unus titulus legis civilis ex solo mutuo dato, nullo alio titulo concurrente a parte rei, daret jus percipiendi usuras. Ergo...

2.^a Ratio, quae datur ad legem hanc cohonestandam, desumitur praecipue ex necessitate pecuniae ad commercium, ex facilitate eandem pecuniam lucro destinandi, ex magna commoditate, quam pupilli, viduae ex pecunia credita accipiunt, ex bono communi inde resultante. Sed haec ratio cum suis motivis videtur insufficiens, ut reprobata cum eis a Benedicto XIV loc. cit. in prob. Theseos. Ergo...

3.^a Hic titulus, praesertim ut hodie proponitur, esset universalis in omni mutuo, si mutuum forte erga pauperes excipias. Sed hoc parum cohaeret cum is quae docet Benedictus XIV (1): «Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, et non nisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve, id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere.»

4.^a Gregorio XIII propositus fuit casus: Titius in Germania pecuniam habens, eandem Sempronio, cujusvis conditionis homini, ad nullum certum usum, sed pro arbitrio debitoris distrahendam, ea lege tradit, ut Titius ex pacto et civili obligatione... jus habeat, quamdiu eadem pecunia apud Sempronium relinquitur, accipiendi quotannis ab eodem Sempronio quinque florenos pro singulis centenariis et postea totam quoque summam capitalem. Ex vi autem contractus aut pacti adjecti, Titius annui lucri aut summae capitalis perdendae nullum periculum subit, sed, sive Sempronio fructificet, sive non, jus habeat ab eo exigendi lucrum quinarium annuum pro omni centenario, et sive vivat Sempronius, sive moriatur, Titius ab illo vivente aut, illo mortuo, ab ejus haerede summam capitalem recuperat, nihil quod interim accepit restituens. Responsio Pontificis fuit: «Contractus modo et forma praedictis usurarius est, neque enim ad aliam speciem, quam mutui cum conventionem lucri, ex eodem mutuo accepti, reduci

(1) Encyclic. *Vix pervenit*. V.

»potest.» Sed nullum alium contractum videntur inire, qui solo titulo legali, etc... Ergo (1).

§ IV.

Quid probabilius sentiendum.

105. Dico: Ad lucrum in mutuo juste percipiendum vis solius tituli legalis vel consuetudinis nulla est: prout vero lex vel consuetudo fundatur in utilitate boni communis propter praesumptionem alicujus tituli mutuo extrinseci est saltem probabiliter sufficiens titulus.

I.^a Pars. Prob. rationibus § III quae ad minus evincunt nudam legem, solam consuetudinem non esse nec efficere titulum mutuo extrinsecum, ut ejus occasione aliquid ultra sortem percipiatur; non secus ac leges, quae tolerant meretricium, illud honestum minime faciunt.

II.^a Pars. Prob. rationibus 2.^a et 3.^a § II, et partim ex prima; nam, licet Ecclesia usum hujus tituli non permittat cum positiva ejus approbatione, permittit tamen ut tutum in praxi. Sed non videtur posse permitti ut tutum in praxi, quod saltem non sit probabile. Ergo...

Jam ad rationes § III, prout opponuntur huic conclusioni resp. Ad 1.^{am} Neg. *min.* Adsunt tituli assignati rationibus 2.^a et 3.^a § II.

Ad 2.^{am} Dist. *Maj.* Sunt illae rationes singillatim et individuatim sumptae; neg. Collective et prout afficiunt totum societatis corpus; conc. *Min.* neg. vel dist. Reprobantur aliquae prout in aliis a nostris circumstantiis individuatim sumptae non essent nisi pallium usurae; conc. Prout in nostris circumstantiis, quae semper locum dant praesumendi justum titulum mutuo extrinsecum; neg.

Ad 3.^{am} Idem respondeo, sermonem esse de aliis circumstantiis, ut ex posterioribus S. Sedis resolutionibus, quae sine derogatione doctrinae a Benedicto XIV traditae, contrarium conjicere licet.

Ad 4.^{am} Dist. ita respondet Pontifex de lucro vi mutui et solius mutui causâ; conc. De lucro occasione mutui ex titulo legali vel alio contractu mutuo extrinsecum, neg. Potest haec responsio confirmari ex his quae addit in fine decreti apostolici Gregorius XIII: «Si tamen in Germania est aliquis contractus, in quo quinque pro 100 accipiuntur, aliis modo et forma quam supra dictis celebratus, non per haec talem damnare aut probare intendimus, donec specialis fiat de eo expressio et consideratio, ut quid de eo sit sentiendum decernatur, sicut de proposito decretum est.»

(1) V. Dissert. P. Zech. II, sect. VIII, a. 3.